

ART. VIII. *De miraculorum possibilitate*

153. Miraculorum possibilitatem negant omnes ii, qui ob diversam, ut diximus¹, rationem leges naturae absolute necessarias, et immutabiles esse tenent. Nec alia est opinio Rationalistarum; nam ipsi comminiscuntur haud possibile esse ut facta, quae legibus experientia universim exploratis adversantur, contingat, et ideo omnia miracula, quae Sacrae Litterae narrant, veluti mythos interpretantur².

154. Prop. *Deus efficere potest miracula.*

Probatur. Miraculum, ut ex dictis patet, existit vel cum Deus in rebus aliiquid novi facit, quod natura efficere non potest, vel cum effectum impedit, qui ab actione alicuius causae naturalis consequi deberet³. E. g., si Deus coeco visionem restituit, aliiquid novi in coeco efficit, quod natura efficere non potest, quia coecus visionem, quam amisit, naturaliter rursus acquirere non potest; si autem efficit, ut ignis non comburat, impedit combustionem, quae est effectus proprius ignis. Atqui Deum in rebus utrumque efficere posse certo certius est. Ergo.

155. *Minor ita demonstratur:* Quod ad primum attinet, Deus omnes res condidit, easque conservat, et gubernat. Ergo dubi-

natur. Etenim illa ab istis distingui possunt non solum ex comparatione eventuum cum exploratis naturae legibus, sed etiam¹ ex ingenio, indoleque eius, qui miraculum operatur, num sit pietate, animique demissione insignis, necne;² ex modo operandi, scilicet num omnia, quae miraculum concomitantur, redoleant religionem, gravitatem, et modestiam, nihilque superstitionis, et ridiculi prae se ferant; ³ ex fine cum operis, tum operantis, hoc est, num opus ad cultum Dei promovendum, hominumque corda amore Dei inflammada spectet, et num operans gloriam Dei unice quaerat, an propriam gloriam, et lucrum auecupetur; ⁴ ex praestantia, et duratione effectus, quia opera Dei sunt firma, praestigiaque cito evanescunt. Cf Bened. XIV, *Op. cit.*, lib. IV, c. 4.

¹ Pag. 152.

² Horum commenta in unum colligit Strauss, *Vie de Jésus*, trad. par Littré, art. I, § 14, t. I, p. 88, Paris 1839. Adversus istos Concilium Vaticanicum hunc sanxit Canonem: « Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse; proindeque omnes de iis narrationes, etiam in Sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos alegandas esse; aut miracula certo cognosci numquam posse, nec iis divinam religionis christiana originem rite probari, anathema sit »; Sess. III, *Constit. dogmat.* *De Fide Cathol.*, Canones, § II, *De Fide*, n. 4.

³ Cf s. Thom., *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VI, a. 1 c., et a. 2 ad 3.

tari non potest, quin Deus possit quosdam effectus in mundo operari, quos causae naturales producere nequeunt. E. g., si Deus corpus humanum organo visionis donavit, nonne potest in coeco ipsum organum a viro, quo laborat, cuiusque causa visioni ineptum est, liberare, atque hoc pacto efficere, ut cooccus vim videndi rursus adquirat?¹

156. Quod ad alterum spectat, Deus res naturales ita inter se colligavit, ut actio unius actionem alterius quandoque impedit². Ergo potest actione sua prohibere, quominus actiones rerum naturalium effectu suo interdum frustrentur. E. g., nemo non experitur se non raro impedire, quin corpus deorsum cadens tangat terram, ad quam vi gravitatis tendit, aut saepe motu corporis obicem ponere, ut illud vel quiescat, vel alio cursum convertat. At si homo haec, aliaque huiusmodi praestare potest, nemo certe negabit Deum, qui ubique est, et operatur, cuisque virtus humanam infinite excedit, potuisse hominem e tecto præcipitem in aere suspendere, ut eum a mortis periculo liberaret. Illud quidem inter actiones rerum creatarum, et actiones Dei, a quibus effectus causarum naturalium impediuntur, interest, quod illae ordine naturali continentur, hae autem vel *quoad substantiam*, vel *quoad modum* vires naturae praetergrediuntur, prout effectus causae naturalis vel a nulla re creata absolute impeditri potest, vel impeditri absolute potest, sed non in iis adiunctis, in quibus a Deo miraculum efficitur.

157. Confirmatur propositio ex eo, quod Deus, ut iam innuimus³, non ex necessitate, sed ex liberrima voluntate ordinem, qui in mundo conspicitur, constituit. Nam, si ordo mundi non ex necessitate, sed ex liberrima Dei voluntate existit, nihil prohibet, quin Deus aliquid praeter ordinem naturae operari, seu, quod idem valet, miracula patrare possit.⁴

¹ Idem quoad alia huiusmodi facta dicendum est; nam si Deus omnia viventia creavit, nonne potest vitam largiri vel plantae, ut rursus floreat, fructusque edat, vel cadaveri, ut homo reviviscat? Si Deus triticum creavit, hominesque artem conficiendi panis edocuit, nonne potest quinque panes ita multiplicare, ut non modo quinque millia hominum nutrit, sed etiam multa illorum fragmenta supersint?

² Cf Criteriol., c. IV, art. 2, p. 243, not. 7, vol. I.

³ Pag. 152. — ⁴ Cf s. Aug., *De Gen. ad litt.*, lib. VI, c. 13, n. 23, et s. Thom., *Contr. Gent.*, lib. III, c. 99.

158. Obiic. Si miracula fierent, leges naturae essent mutabiles. Atqui leges naturae esse mutabiles repugnat, tum ex parte Dei, quia repugnat voluntatem Dei, qui illas constituit, esse mutabilem, tum ex parte ipsius naturae, quia, cum naturae rerum sint fixae, et determinatae, determinatae etiam, proindeque immutabiles esse debent leges, quibus ipsae gubernantur. Ergo miracula fieri haud possibile est.

159. Resp., conc. mai.; neg. min.; neg. cons. Et sane neque ex parte Dei, neque ex parte ipsius naturae quidquam prohibet, quin leges particulares aliquando mutantur. Non quidem ex parte Dei. Etenim Deus, cum leges naturae liberrime statuisset, illas eadem voluntate, qua constituit, mutare, aut suspendere potest, quoties ordo Providentiae id expostulat. Neque idcirco mutari Deus dicendus est. Nam « Deus, ait s. Thomas, ab aeterno praevidit, et voluit se facturum, quod in tempore facit. Sic ergo constituit naturae cursum, ut tamen praeordinaretur in aeterna sua voluntate, quod praeter cursum istum quandoque facturus esset¹ ». Neque ex parte ipsius naturae. Nam rebus, quae a Deo creatae sunt, ab Eoque conservantur, et reguntur, non repugnat, immo consentaneum est ipsas nutui Dei obedere. Atqui, cum leges mundi ob immediatam actionem Dei mutantur, res creatae nutui Dei ipsas conservantis, gubernantisque obedient². Ergo ex parte naturae non repugnat leges eius aliquando mutari³. Nisi quod, cum leges naturae per miracula mutari dicuntur, putandum non est miraculo laedi ullam legem generalem naturae, quia, ut ex allatis exemplis colligitur, Deus miracula patrat non quia legem generalem a se statutam destruit, sed quia eius effectum relate ad aliquam rem particularem suspendit, vel quia in natura aliquem effectum sensibilem per se, et immediate producit⁴.

¹ Qq. disp., *De Pot.*, q. III, a. 1 ad 6.

² Cf s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. XLII, a. 1, q. 3 ad arg.

³ Vid. etiam quae adnotavimus p. 153, not. 1.

⁴ Hinc cum miracula contra naturam fieri dicuntur, id de naturis particularibus tantum intelligendum est; neque ita ut earum essentialiae aduersetur; haec enim illud tantum expostulat, quod si naturaliter operetur, non nisi operationes sibi consentaneas exercere possit. Item, etsi in miraculis effectus fiant contra ordines particulares rerum, tamen semper secundum ordinem universalem Divinae Providentiae eveniunt, cui ordines particulares subiiciuntur, siquidem ad Divinae Bonitatis manifesta-

CAPVT VII.

De mundi origine

ART. I. Utrum mundus a Deo sit creatus

160. *Creationis* nomine intelligitur productio rei « in esse secundum totam suam substantiam », ita ut « causalitas creantis se extendat ad omne illud, quod in re inventur¹ »; unde definitur: Productio totius esse rei ex nihilo, ita ut nihilo antea extet, ex quo res educatur. Hinc valde distat creatio ab illa actione, quae simpliciter *effectio* dicitur, nempe per quam subiectum, quod iam existit, immutatur. « Duplex modus est caussandi. Unus quidem, quo aliquid fit, praesupposito altero. Alio modo caussatur aliquid, nullo praesupposito. Et hoc modo dicitur aliquid fieri per creationem² ».

161. Prop. *Mundus a Deo esse suum habet per creationem*³. *Probatur* prima pars, nempe mundum habere esse suum a Deo. Omnes res, ex quibus mundus constat, non sunt ex se ipsis, sive, ut Scholae aiunt, non habent esse ex se. Atqui id, quod non est ex se, oportet ut sit ex alio, seu, ut habeat esse ex alio, quippe quod nihil medii est inter esse a se ipso, et esse ab alio. Quotquot igitur res sunt, ex quibus mundus componitur, esse suum ab alio habent. Atqui hoc aliud, a quo res mundanae esse suum repetunt, nonnisi Deus esse potest; nam ea, quae non sunt a se ipsis, cum habeant esse *participatum*, causam sui esse in eo agnoscent, cui esse *essentialiter* convenit; Deus autem dumtaxat est Ens, cui esse *essentialiter* convenit. Ergo omnes res mundanae a Deo esse suum habent⁴.

162. *Probatur* altera pars, nempe modum, quo mundus esse

tionem, et divinae gloriae revelationem ordinantur. Vid. s. Thom., Qq. disp., *De Pot.*, q. III, a. 1 ad 14; *ibid.*, q. VI, a. 1 passim.

¹ In lib. II Sent., Dist. I, q. I, a. 2 sol. « Creatio, inquit s. Bonaventura, est totius substantiae secundum totum; In lib. II Sent., Dist. I, p. I, a. 2, q. 2 resol.

² In lib. De causis, lect. XVIII.

³ « Si quis, ita a Concilio Vaticano definitum fuit, non confiteatur, mundum, resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales, et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas... anathema sit »; Sess. III, Const. dogm. *De Fide Cathol.*, Can. I, n. 3.

⁴ I, q. XLIV, a. 1 c. Vid. etiam *Contr. Gent.*, lib. II, c. 15.